



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1713**

Q. 195. An indulgentiæ Regularium revocatæ à Paulo V. sint revalidatæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42624**

gentiæ, ergo licet crux redintegretur, non redeunt indulgentiæ, cum nulla sit nova causa, quæ reducat. Quod valet secundum *Pelliz.* apud *Dian.* p. 10. t. 16. R. 9. si indulgentiæ affixæ erant Cruci Caravacensi, & frangatur una pars transversa, tum enim desit forma Crucis Caravacensis.

§. 5. Non pereunt indulgentiæ morte concedentis, quia sunt beneficium Principis, quod decet esse mansurum. Idque tenet non tantum in Pontificiis, sed etiam in Episcopalibus & à Legato Pontificio concessis, *Suar.* n. 4. *Gonz.* ad Reg. 10. cancell. Gl. 12. Nec cessant renuntiatione, quia licet quis possit non velle lucrari, tamen non potest à se rejicere potentiam lucrandi, quia hæc provenit à libera alterius voluntate, quâ durante manet semper in potestate ejus, cui confertur indulgentia, mutare suam voluntatem & illam lucrari, *Suar.* n. 13. 1386

Q. 195. An indulgentiæ Regularium revocata à Paulo V., sint revalidata. R. §. 1. Non sunt revalidata, nam *Alex. VII.* damnavit hanc 37. prop. *Indulgentiæ concessæ Regularibus & revocata à Paulo V. hodie sunt revalidata.* 1387

§. 2. Cum Regulares dicerent plurimas sibi concessas indulgentias, quarum tamen aliquæ incertæ erant, *Paulus V.* die 23. Maji 1606. revocavit omnes indulgentias usque ad illum diem concessas quibusvis Religiosis & Monialibus: docuerunt autem aliqui hanc revocationem esse sublatam ab ipsomet *Paulo* vel alio successore, sed *Alex.* declarat oppositum, adeoque omnes indulgentiæ ante Bullam *Pauli* concessæ Regularibus manent revocata. Si tamen concessæ fuerint omnibus fidelibus, aut parentibus, 1388

parentibus

parentibus vel amicis Regularium, non sunt revocatæ, quia non fuerunt concessæ præcisè Regularibus.

- 1389 §. 3. Loco revocatarum dedit *Paulus V.* omnibus Regularibus, 1. plenariam in susceptione habitûs regularis. In professione. In primario festo sui Ordinis. In mortis articulo. Dum primam Missam celebrant vel ei interfunt. Facientibus exercitia spiritualia per 10. vel 8. dies: In his tamen omnibus semper simul fieri debet Confessio & Communio. 2. Indulgentias Stationum Romæ iis, qui proprium templum visitârint & ibi orârint: itemque multas alias, quæ videri possunt in Bulla *Pauli V. Romanus Pontifex*, quæ est 21. Et in Comp. novo privil. Societ. v. *Indulgentia*. §. 33. Item apud *Viva* in Appendice ad tract. De Jubilæo.

- 1390 Q. 196. An indulgentiæ vivæ vocis oraculo concessæ sint revocatæ. R. De privilegiis vivæ vocis oraculo concessis egi l. 1. à n. 850. ubi num. 861. insinuavi etiam indulgentias videri revocatas: sed ex dictis hic num. 526. constat valde probabile esse, non esse revocatas.

## PARAGRAPHUS II.

*Quotuplex indulgentia, & quomodo differat à Jubilæo.*

- 1391 **R** Esp. I. Indulgentia alia est totalis sive plenaria, plenior, plenaria, plenissima, quæ non tantùm pœnitentiam injunctam per Confessarium vel Canones, aut secundùm hos injunctam debitam, sed etiam omnem Purgatorii pœnam tollit. Nec differt à Jubilæo, nisi accidentaliter, privilegiis quibusdam, ut quòd in Jubilæo